

est, esse aliquando dividendos pro rata temporis, quo onera beneficii defunctus tulit; eodem modo, quo fructus dotis soluto matrimonio bipartiri solent. In pluribus Ecclesiis receptum est, annum divisionis, veluti mortualem computari à festo S. Joannis, vel alterius Sancti, quia ab eo die annus residentiae inchoari solet.

51 Inter Canonicos aliquando annus gratiae receptus est, tum ad expungendum æs alienum, tum ad surrogandos sumptus funerales, tum denique ad supplendos annos carentiæ (a). In Germania superest vetus Concilii Trevirensis de ann. 1310. Decretum, ut nulli Canonico talem annum, talisque anni redditus liceat retinere.

52 In reliquis haud excusantur hæredes ipsi, quin acquæstus ecclesiasticos (b), in quantum à patrimonialibus discernere possunt, in pias causas erogare teneantur, quia res transit cum suo onere. Cum Guilielmo Episcopo Parisiensi aliquando nuntiatum esset, sibi ex hæreditate Canonici cujusdam tria Marcarum millia ab intestato obtigisse, præcepit mox pecuniam in usus pauperum erogari.

\* 53 Quid igitur in morali doctrina reliquum est, quam Clericos, si in vivis suo officio erga pauperes defuerint, sui periculi in rationibus divini judicii monere? En sententiam S. Hieronymi (c): *Amico quippiam rapere furtum est, Ecclesiam fraudare sacrilegium est. Accepisse, quod pauperibus erogandum est, & esurientibus plurimis vel cautum esse, vel timidum; aut, quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. — Optimus Dispensator est, qui sibi nihil reservat. Juxta Concilium Matisconense II. (d) Qui oblationes fidelium — quæ Ecclesie conferuntur, retinent, veluti retentatores Ecclesie, aut egentium necatores, ab Ecclesie liminibus arceantur. Capitularium hæc est sententia (e): *Ne cui liceat res, vel facultates Ecclesiis, vel Monasteriis, vel Xenodochiis pro quacunque elemosyna cum justitia delegatas retinere, alienare, atque subtrahere. Quod si quis fecerit, tanquam neciter pauperum, antiquorum Canonum sententiis constrictus ab Ecclesie liminibus excludatur, quandiu ab ipso ea, quæ sunt oblata, & retenta, restituantur. Quis disertior in eo genere argumenti S. Bernardo (f)? *Clamant nudi, inquit, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt: — vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris***

(a) Marten. Tom. 4. append. col. 247. (b) Thom. Cantuar. lib. 2. c. 55.  
(c) S. Hieron. ep. ad Nepot. (d) Synod. Matiscon. II. cap. 4. (e) Cap. Franc. lib. 6. c. 136. & lib. 7. c. 49. (f) S. Bern. ad Henr. Sen. cap. 2.

necessitatibus subtrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris &c. Caterum stabunt in futuro in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt: stante quippe pro eis Patre orphanorum, & judice viduarum. Ipsius enim tunc vox erit: *quandiu non fecistis uni de his minimis meis, nec mihi fecistis.*

## TIT. XVI.

## De Decimis, &amp; Oblationibus.

## CAP. I.

## De Origine, &amp; Jure Decimarum.

1 **I**nfuit Concilium Nannetense (a): *Instruendi sunt Presbyteri, pariterque admonendi, quatenus noverint decimas, & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum, & hospitum, & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatitiis uti. De quibus omnibus sciant, se rationem posituros in conspectu, & nisi eas fideliter pauperibus administraverint, damna passuros.*

2 En brevem rerum Synopsis? Judæi (b), Deo decimas, & primitias fructuum ad sacrificia, & vota offerre assueti, idem institutum sub Evangelio urgendum censuerunt: Pagani autem, ad Christum conversi, maximos sumptus in sacrificia idolorum, & profana spectacula impensos, bonis operibus deputarunt. Constat inde à principio fidelibus decimarum, & primitiarum oblationes fuisse commendatas. c. 65. & 66. XVI. quæst. 1.

3 Hactenus tamen Christiani de decimis, & fructuum primitiis, & aliis oblationibus æque, ac de cæteris elemosynis in pauperes conferendis movebantur, & singulorum pudori relinquebatur: velletne dare; an non dare. Hortabatur quidem S. Hieronymus (c) populum ad Decimarum solutionem: sanctus quoque Joannes Chrysostomus (d) earum solutionem omnimodis suavit, nec minus eas commendavit S. Augustinus (e): nullum tamen rigorosum tunc temporis adhuc erat præceptum de decimis. Exeunte sæculo VI. Episcopi in negligentes decimas dare censuras strinxere. Inde in Oriente eas exactiones Justinianus suppressit. L. 39. §. 1. C. de Episc. & Cler.

Bb 2

In

(a) Conc. Nannet. c. 10. (b) Fleur. J. E. P. 2. c. 10.  
(c) S. Hier. in c. 3. Malach. (d) S. Chrys. hom. 11. in ep. ad Eph.  
(e) S. Aug. in Psalm. 146.

4 In Occidente sæculo IX. quo in decimis præstandis laici fere omni officio defuere, pristinum censurarum rigorem auxerunt Constitutiones Francorum Regum (a). Fortassis illa bonorum ecclesiasticorum dissipatio ansam dedit juri incrustando, quod ex lege divina firmari posse videbatur. Superest Ludoviciani Capitularis fragmentum in Decreto. c. 7. XVI. q. 7. & ibi Correct. Rom.

5 Sunt, qui decimas juris divini esse censent. In Decreto enim Gratiani frequentes occurrunt auctoritates, quæ eo genere argumenti, & exempli jus decimarum Ecclesiæ vindicant. c. 5. & 6. ibi.

6 Novo jure receptum est dogma, decimas Deo deberi in signum universalis dominii. Hinc Cælestinus III. pronuntiavit, & ex artefactis, omnique honesto lucro decimas deberi. c. 22. de Decim.

7 S. Thomæ tamen, reliquisque Theologis visum est, decimas proprie divini juris haud esse, nisi, quantum ad sustentationem Ministrorum sunt necessariae. Illa enim lex Mosaica judicialis in reliquis est, quod Sacerdotibus, & Levitis, nulla hæreditaria portione donatis, à cæteris tribubus decima reddituum pars esset solvenda: si tamen Christiani aliunde Clericis prospicerent, huic oneri supersedere possent. Quare Græci, ac cæteri per Orientem Christiani decimarum exactiones nunquam admiserunt, quia ex Novellis Justiniani (b) constat, Clerum aliunde habuisse sufficientes redditus alimoniarum. Nihilominus per Occidentem consuetudine continua, & constitutione humana, exemplo legis divinæ innixa, decimæ debentur.

Cap. 2.  
De Divers.  
Decim.

8 Jure novo declarat Pontifex: *De vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsa etiam militia (id est feudo, vel terra, quæ militem debet) de venatione, de omnibus bonis decimæ sunt ministris Ecclesiæ tribuendæ; ita, ut qui de his eas solvere neglexerint, ecclesiastica districtione debeant percelli.* Refert. c. 22. de Decim.

9 Adeo exemplis novi juris nulla terra, nullum seminis genus, nulli fructus, nullæ res, nullum opificium, nullum negotium, nullum lucrum à decimis excusatur. Rescripsit Alexander III. Vintoniensi Episcopo: *Mandamus, quatenus Parochianos tuos de apibus, & de omni fructu decimas persolvere ecclesiastica districtione compellas.* Superest c. 6. ibi.

10 His exemplis decimæ dividi solent in prædiales, personales, & mixtas. Prædiales spectant fructus, & proventus

(a) Cap. Franc. lib. 5. c. 101. (b) Nov. 3. & 43.

tus naturales, civilesque possessionum. Personales referuntur ad lucrum opificii, artificiique. Mixtæ in fructu, & fætu pecorum constituuntur.

11 In tanta diversitate decimarum, quantum ad causam, & quotam debiti, diversas consuetudines locorum esse spectandas sæpe rescripsere Pontifices. Sic Concilium Lateranense IV. pronuntiat: *Illæ decimæ necessario solvendæ sunt, quæ debentur ex lege divina, vel loci consuetudine approbata.* Refert. c. 32. de Decim. in integr. lect.

12 Juxta Interpretes decimæ Personales passim consuetudine interierunt. Supersunt prædiales, & mixtæ; & hæc, illæque alibi majore, alibi minore numero. Sic in Belgicis Provinciis exaruerunt decimæ lignorum, fæni, herbarum, ovium, agnorum, lanæ, porcorum, vitulorum, anserum, & similibus.

13 Oportet ergo cujusque loci consuetudinem explorare, servareque; aut si de ea non constet, exemplum ex vicinia petere. Hærente dubio Jus Decretalium, veluti jus commune, in regula est; consuetudo in exceptione primas fert. Inde à decimis passim excusantur fructus, de quibus à tempore 40. annorum decima præstari haud consuevit; utpote si consuetudo positiva probetur.

14 Inter ea sæcula, quibus in Occidente cœperant decimarum exactiones, præceptum est, ut quisque Parochus suorum subditorum decimas colligeret. Vetus enim regula habuit, ibi reddendas esse decimas, ubi per totum anni circulum Missas audiunt, & eorum infantes baptizantur. c. 46. XVI. q. 1.

Cap. 3.  
De Jur. Pa-  
roch. de-  
cim.

15 Veteri more administratio decimarum per totam diocæsin inde Episcopi fuit, ea tamen lege, ut Ecclesias Parochiales sartas tectas teneret, ornamenta, & reliqua, quæ ad cultum divinum necessaria viderentur, conferret, Ministris altarium ea, quæ ad victum, & vestitum pertinent, largiretur, & tandem eleemosynas, à Canonibus præscriptas, pauperibus erogaret. Ita in Concilio Turonensi (a), quod ann. 813. celebrabatur, & Concilio Wormatiensi (b) ann. 868. statuitur: *Ut decimæ in potestate Episcopi fiant, qualiter à Presbyteris dispensentur.* &c.

16 Quum novo jure invaluisset, quod omnes proventus ecclesiastici singulis titulis inhærent decimarum omnium libera administratio Parochis, veluti jure communi obligit. c. 29. & 30. de Decim.

17 Hac divisione vetus quarta Episcopi in decimis Parochia-

(a) Conc. Turon. c. 16. (b) Conc. Wormat. c. 36.

chialibus æque, ac in cæteris proventibus ecclesiasticis exaruit, nisi forsan vel ex particulari conventionem, vel ex alio singulari titulo Episcopus sibi aliquam portionem aliquando alicubi reservasset. *c. 13. ibi.*

18 Nonnumquam inter Parochos exarsere dissidia, eoquod essent homines, qui in alia Parochia terras excolerent. Decidit Alexander III. consuetudinem esse observandam cujusque loci. *c. 18. de Decim.*

19 In regula Interpretibus placuit distinctio inter decimas prædiales, seu reales, & personales, seu industriales. Decimæ personales debentur illi Ecclesie, ubi quisque recipit ecclesiastica Sacramenta: reales indicat sibi illa Ecclesia, in cujus districtu illa prædia sunt sita. *c. 2. de Rest. Spol. in 6.*

20 Sed quid eo casu de decimis mixtis? Synodus Wigorniensis (a) ann. 1240. ita decidit: quod, in quacunque Parochia per totum annum fuerit ovile, licet oves Parochie vicine aliquando limites transeant ad pascua quærenda, illi Ecclesie, in cujus Parochia continuo cubaverint, decimæ tribuantur. Quodsi continuo cubant in una Parochia, & continuo pascant in alia, inter Ecclesias decima dividatur. Si ergo per medietatem anni in Parochia alia pascantur, ex æquo decima dividitur. Si inæqualiter pascantur in diversis Parochiis, pro rata temporis decima dividenda est.

21 Jure novo Jus Parochiale percipiendi decimas fructuum quorumcunque, infra limites Parochie excrescentium, per titulum juris definitum est, ut jus decimandi intra eodem limites contra Ecclesiam Parochialem præscribi non possit, nisi cum quadragenaria possessione concurrat titulus; vel ejus defectum suppleat lapsus tanti temporis, cujus contrarii memoria non existat. *c. 1. de Præscript. in 6.*

22 In reliquis jus decimandi titulo Ecclesie Parochialis cohæret. Si ergo Ecclesia Parochialis alteri loco incorporata fuit, in Vicarium temporalem, perpetuumque haud transit jus illud decimandi, quia titulus Ecclesie Parochialis per eam unionem translatus censetur.

23 Supersunt & laicis decimæ, quas plerumque infeudatas vocant, atque quidem duplici titulo: sunt enim quædam decimæ origine laicæ. Sic in feudis, emphytheusibus, & censibus constituendis domini suis Vasallis prædia dederunt cum onere partis fructuum, quod in colonis partiariis, & Solario manifestum. De illis decimis plane laicalibus hic non agi-

Cap. 4.  
De Decim.  
laic. & infeud.

(a) Synod. Wigorn. c. 44.

agitur, sed de veris decimis origine sua ecclesiasticis, quarum à populo in usum Ecclesie oblatarum laici omnino sunt incapaces. *c. 1. XVI. q. 7.*

24 Et tamen plures usurpabantur, quas Dynastæ aut propria auctoritate sibi vindicabant, aut per indiscretiorem indulgentiam Prælatorum obtinebant. Ingemuit tantæ ignaviæ aliquando Gregorius VII. *c. 13. l. q. 1. c. 3. XVI. q. 7.*

25 Ingemuit novo jure huic vitio Cleri & Alexander III. statuimus, inquit Pontifex, ut, siquis Prælatorum alicui laico, in sæculo remanenti, Ecclesiam, decimam, oblationemque concesserit, à statu suo, sicut arbor, quæ inutiliter terram occupat, succidatur. Refert. *c. 17. de Decim.*

26 Enimvero decimæ ecclesiasticæ per deputationem illam, quod Ecclesie ministris jure divino ad sustentationem reserventur, quodammodo spirituales censentur. Inde novo jure invaluit regula, laicos nulla ratione decimas detinere, aut præscriptione acquirere posse. *c. 7. & 10. de Præscript.*

27 Concilium Lateranense III. diserte prohibuit, ne laici de novo jus decimandi acquirere, aut hactenus possessum in alios laicos transferre possent. Quippe decimæ spectantur veluti propria stipendia Cleri. *c. 19. de Decim.*

28 Invaluit tamen aliquando communis interpretatio, laicis permissum esse, decimas retinere ante Concilium Lateranense de ann. 1179. obtentas. Inde Alexander IV. diserte distinxit inter decimas ante, & post Concilium Lateranense III. acquisitas. *c. 2. §. 3. ibi in 6.*

29 His constitutionibus factum est, ut decimæ, quas laici ann. 1179. tenebant, ipsis relinquerentur; quæ vero illo Concilio posteriores essent, illegitimæ haberentur, si id probari posset: sin minus, pro infeudationis antiquitate præsumitur, si modo centenaria, aut immemorialis possessio suffragetur. *c. 7. de his, quæ fiunt à Prælat.*

30 Expeditiones sacræ novum genus decimarum Papis pepererunt. Cum enim Levitis quondam preceptum fuisset, ut decimarum, à populo acceptarum, decimas summo Sacerdoti redderent, homines incessit persuasio, Pontifici Romano decimas omnium fructuum beneficialium deberi. Inde exarscentibus Cruciatæ sæpe Reges, sæpe Imperatores decimas, à Clero exigendas, à Papis impetrarunt. In Gallia per Comitata Melodunensia ann. 1580. & per contractus, cum Rege denis annis renovandos, decimarum onus factum est perpetuum, cui nonnumquam, si opus est, gratuitum donum adjicitur.

31 In Gallia ac Belgio & reliquæ decimæ laicis infeudata.

data, tanquam alii reditus vulgares, & patrimoniales æstimantur, ut de iis etiam in petitorio Judex civilis cognoscere possit: quo ipso abrogata est constitutio Gregorii IX. quæ refertur c. 35. *de Decim.*

32 Interim & hæ primigeniam recuperant indolem, si ad quandam Ecclesiam aliquando libere, & simpliciter revertantur: nam si illæ decimæ non pure, sed cum onere feudali, aut non per se, sed cum universitate castri, aut alterius prædii per modum accessionis Ecclesiæ à laicis obtigerint, veluti laicales, & temporales spectantur. In Gallia vetat ann. 1749. Ludovicus XV., ne Ecclesiæ infeudatas laicis decimas libere, & simpliciter recuperare possint, nisi à Rege legem amortizationis impetraverint.

Cap. 5.  
De Decim.  
ad Monast.  
& Capit.  
devolut.

33 Vetus origo decimarum laicis infeudatarum in Gallia emersit. Sæculo enim VIII. concessionibus Caroli Martelli passim laici, defectu militaris stipendii, Ecclesias, id est, proventus ecclesiasticos, titulo feudi nacti sunt, ea lege, ut Parocho justam exinde sustentationem præberent. Præcipit Capitulare (a): *Ut, qui Ecclesiarum beneficia, habent, nonam, & decimam ex iis Ecclesiæ, cujus res sunt, donent, & qui tale beneficium, sæu prædium habent, quod ad medietatem laborent, de earum portione proprio Presbytero, id est, Parocho decimas donent.*

34 Id genus infeudationis, aut & dissipationis ægerime, ut justum erat, tulerunt Concilia, & Episcopi, porrectis Principi precibus, ut, repressis laicorum usurpationibus, veteres proventus, & possessiones Ecclesiis, quantum fieri posset, restituerentur.

35 Laici, tum edictis regiis, tum censuris ecclesiasticis ad justam restitutionem compulsi, illas Ecclesias & decimas plerumque Monachis, & Canonicis reddere volebant, ut vel per fundationem novi Monasterii, aut Claustrum sui nominis gloriam relinquerent, vel Religiosorum hominum pia, & perpetua suffragia sibi, suisque conciliarent, vel instantiis, & sollicitationibus Monachorum, Canonicorumque cederent. Observat Christianus Lupus (b): *Et Monachorum, & Regularium in Cathedrali, aut Collegiato claustrum Clericorum disciplina tunc florentissime vigeat. Hinc plures laici, dum sæculares, aut singulares Clericos, sæpe concubinarios, aversantur, detentas altarium decimas illis donarunt, ex ipsis fundarunt nova Monasteria, ac regularia Collegia, atque ita utramque istam professionem opulentissime ditaverunt.*

In-

(a) Capitul. lib. 2. c. 157. (b) Christ. Lup. tom. 5. schol. p. 186.

36 Inde duplici titulo Monasteriis, & Capitulis obtigerunt decimæ. Sunt aliæ, quas labori Monachorum, qui resectis sylvis terras steriles ad frugem reducerant, debent illi, qui deinceps vicos, & oppida, agrosque ea lege receperunt. Sunt aliæ à Magnatibus, quas Ecclesiis olim in situ suo jacentibus eripuerant, restitutæ, aut & ab Episcopis donatæ. In illa restitutione laicorum decrevit Urbanus II. *Decimas, & Ecclesias à laicis Monachi non suscipiant absque consensu, & voluntate Episcoporum.* Refert. c. 39. XVI. q. 7.

37 Hac occasione nonnulli Episcopi quæstum facere videbantur, quia facillime consensum, reservato sibi annuo censu, vel alio oblato pretio, pro redemptione altarium, ut vocabant, præbebant. Damnatæ sunt hæ nundinationes. *cap. 4. l. quæst. 3.*

38 Jure novo redire ad regulam placuit, quæ vetat, Regulares à laicis decimas, aut Ecclesias recipere sine consensu Episcopi. Hinc in Concilio Lateranensi III. pronuntiat Alexander III.: *Ecclesias & Decimas de manu laicorum sine consensu Episcoporum, tam illos (Templarios) quam alios Religiosos recipere prohibemus.* Refert. c. 3. *de Privil.*

39 Et vero, si Episcopus officio defuisset, recursui ad Papam locus datus fuerat. Sic in Concilio Melitano (a) sub Urbano II. decretum est: *Qui (Episcopus) si forsitan improbitatis, aut avaritiæ causæ consentire noluerit, Romano Pontifici nuntietur: & cum ejus licentia, quod offerendum est, offeratur.*

40 Non dubium igitur est, his auspiciis successisse Monasteriis, & Capitulis, quod abinde plures Ecclesias, & decimas obtinerent, eo onere, ut fideles, & largas eleemosynas exinde facerent indigentibus Parochianis. Præcipit ann. 1342. Synodus Londinensis (b): *Religiosi prædicti beneficia appropriata obtinentes Ecclesiastica, secundum beneficiorum hujusmodi facultates, annis singulis pauperibus Parochianis, circa eleemosynæ quantitatem ipsorum locorum Ordinariorum moderandam arbitrio, per Episcopos ipsos distribuere compellantur, sub pœna sequestrationis.*

41 Inter recentiora illa Privilegia Monasteriorum, & Capitulorum frequentius justus locus superfuit distinguendi decimas novales, & minutas à veteribus, & majoribus, quia, his subductis, illæ jure communi Parocho vindicantur. Eo argumento novales dixit Pontifex, quæ ex prædio recens ad *Epist. Van-Espen. T. II. Cc* fruc-

Cap. 6.  
De Decim.  
Noval. &  
Minut.

(a) Conc. Melit. c. 5. (b) Synod. Londin. c. 4.

